



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Benno Episc. 16. Iunij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

cunte. Damnat proinde vitam pristinam, ter sup-
plex ad DD. Apostolorum ita limina, & post ex-
tructa compluria cœnobîa, & MAGNÆ MATRI
templum, post edita miracula, sub annum DC. L.
cilicio, & cineri incubans, sanctè emoritur. Vbi
tunc socij olim peccantis? crede iterum LANDE-
TINO, quisquis cum pluribus peccas, aut solus fle-
bis, aut serò flebis. *Ex Surio.*

*Melius est habere malorum odium, quàm con-
sortium: sicut bona multa habet communis vita
Sanctorum; sic plurima mala societas affert malo-
rum.* Isidor. l. 2. soliloq.

S. BENNO EPISC. 16. Junij.

BENNO ex illustri Saxonum sanguine mona-
chus, ex monacho Misnensium Pontifex, Sla-
vos sub Christi jugum egit. Captus bello Saxo-
nico ab Henrico IV. Imp. & libertati restitutus,
Romam abiit, pars magna illic Concilij futurus:
inde redux templi sui claves, quas in Albi, cum
iter ingrediaderetur, abjecerat, in pisce recepit; pedo
aquam è terrâ, precibus ex aquâ vinum dedit; sibi
per undas viam stravit: manibus Calicum non se-
mel ad suos per magna itinerum spatia compendio
est transportatus. Misniz Marchionem, quo die
alagam ab eo acceperat, hoc eodem, anno ver-
tente, moriturum dixit, & vatem fuisse mors mi-
nimè mendax ostendit. Claruit innumeris semper
miraculis, tum præcipuè, postquam Monachium
Bojorum caput translatus est. Ibi ille pugnantem
in se populi pietatem beneficijs quotidianis certat
vincere, certamine hoc etiam jucundiore, quòd
clientes vel victi triumphant. *Ex Hieron. Emsero.*

*Cogita peregrinationis tue miseriam, cogita vitam
humana*

humana pericula, cogita fragilitatem propriam; & ejusmodi cogitatione, si perseveraris, parum senties quicquid foris videtur molestum. S. Beth. serm. de om. SS.

S. TYCHO EPISC. 16. Iunij.

Damus Euclionibus mancipijs pecuniae rei augendae magistrum doctoremque, gratissimae artis, qua granaria frumento stipentur, numusque in arca crescat. TYCHO is est, ætate puer, sed cano sensu; avari parentis filius, multo tamen peritior pecuniarie venationis, quod vel hinc intelligas. Pater oneratum panibus in forum miserat, puer indignatus unciarum questum iis venditis rediturum, è merce stipem facit, eamque in obvios pauperes effundit. Patri æs reposcenti artificium suum aperit; panes apud Christum in faenore positos, & quidem centuplicato, eam in rem se syngrapham accepisse. Pater nulli rei præterquam oculis suis crediturus, puerilis fidei experimentum in horreis quaesivit: & ecce tibi quæ pridie vacuefecerat, importatum divinitus frumentum ægre ceperunt. Eadem facilitate cellas replevit. Aridum vitis surculum & pridem exsuccum humi depaxit, neque vitam illi modò, & germinandi vim, sed perpetui etiam gloriam miraculi contulit. Vnus enim ille palmes, quo die anniversaria TYCHONIS memoria peragitur, sub initium rei divinae liventes uvas ostentabat, quæ ante sacrificium finitum ad maturitatem percoquerentur, præcocem suo satori vindemiam præbituræ. Quid ad hæc avari? In scholâ Plui negant recepta esse paradoxa Christi. Ex Menais.

Quid vereris fluxu & fragile bonum facere sempiternum? aut thesauros tuos custodi Deo credere? ubi